


LAVRENTII MEDICEI


V I T A:

LAVRENTII MEDICEI
V I T A
A NICOLAO VALORIO
S C R I P T A

EX COD. MEDICEO-LAVRENTIANO
NVNC PRIMVM LATINE IN LVCEM ERVTA
CVRA, ET STVDIO

LAVRENTII MEHVS

ETRVSCAE ACADEMIAE CORTONENSIS SOCII.



FLORENTIAE Anno MDCCIL.

Ex Typographio Io. PAVLLI GIOVANNELLI.
PRAESIDIBVS ADPROBANTIBVS.

NOBILISSIMO, ATQUE EXCELLENTISS. D.

C A R O L O

S. R. I. LIBERO BARONI DE FIRMIAN

LEOPOLDI CELSISSIMI NUPER SALISBURGENSIUM ANTISTITIS

FRATRIS FILIO

AVGVSTISSIMO CAESARI FRANCISCO I

AB AVLICIS CONSILIIS IMPERII

&c. &c. &c.

LAVRENTIVS MEHVS

D. D. C



Ogitanti mihi, EXCELLENTISSIME, ATQUE AMPLISSIME DOMINE, ac saepenumero sedulo perscrutanti, quis inter tot Proceres non tam generis nobilitate, quam doctrinarum gloria praestan-

tes LAURENTII MEDICEI dignitatem, atque in Remp. Litterariam merita hac noſtra aetate aliqua ex parte exprimat; TV, VIR NOBILISSIME, prope divinitus oblatus es, quem & humaniorum litterarum, diſciplinarumque ſtudia, & in privata fortuna maximi Celſiſſimi Avunculi Tui, Fratrumque Tuorum honores ad ſummam amplitudinem evexerunt. Et quidem LAVRENTIVS ille MEDICEVS adeo liberalium ſtudiorum amore incendebatur, ut quicumque vel litterarum, vel ſcientiarum cognitione florerent, ad ſe adcerſiverit, adcerſitoſque ſummo ſemper favore complexus ſit. Cui vero ignotum eſt, NOBILISSIMAM FIRMIANAM DOMUM politiorum Muſarum ſedem eſſe, TEque Magnum FIRMIANAE GENTIS ornamentum eos maxime fovere, atque honoribus proſequi, qui in humanarum, Divina-

rum-

non vuol dir fratello del padre, ma fratello della madre.

arcessiverit

rumque rerum institutis, studiisque versantur? Testes appello doctissimos viros non tam in hisce Italiae nostrae regionibus, quam in Germaniae partibus habitantes, qui ab Amplitudine Tua vel patrocinio, vel officiis aucti maximam sibi gloriam pepererunt. Si quis autem in medium adducat LAURENTII MEDICEI sedulitatem in perquirendis Veterum monumentis, Codicibusque ex barbarorum manibus eripiendis, quibus celeberrimam Mediceam Bibliothecam Matthiae Corvini Hungariae Regis exemplo excitaret, ac spoliis Orientis ab Ioanne Lascare Florentiam deportandis locupletaret; is non inficiabitur, TE quoque hanc LAVRENTII curam aemulari. Nam et manuscriptos codices plurimi facis, & magnam librorum vim undecumque advehendam curasti, ut selectissimam Bibliothecam Domi TVAE non tam privatae, quam

Litteratorum hominum utilitati inserviens dedicares. Praetereo egregiam indolem, eximiam morum suavitatem, singularem animi magnitudinem, quibus virtutibus instructus omnium animos in te convertis. Illud tantum dicam, non tam florentissimam hanc urbem, quam Romanam illam, quae inter ceteras caput extulit, merito suspexisse ingenii Tui acumen, atque igneum illum animi vigorem, quo inflammatus ad politiora studia rapiebaris. Testis sit Bibliotheca haec Mediceo-Laurentiana, in qua repostos solidioris Litteraturae fontes avidus hausisti. Testis magnum illud omnigenae eruditionis Domicilium, quod sibi Regio luxu, acerrimoque iudicio Romae comparavit Eminentissimus Cardinalis DOMINICUS PASSIONEVS Princeps omnium seculorum memoria maximus. Quum enim Cardinalis amplissimus immensum omnium disci-

repositos

pli-

plinarum thesaurum non sibi solum, sed ea, qua est humanitate, doctorum quoque commodis congesserit; incredibile dictu est, qua voluptate, quanta animi alacritate nocturna, diurnaque manu versaveris, quicquid elegantiorum disciplinarum in ea reconditum est. Quid dicam de maximis illis honoribus, qui EXCELLENTISSIMAE FIRMIANAE DOMVI amplissimam dignitatem in privata fortuna attulerunt? Nam & LEOPOLDVS sapientissimus Avunculus Tuus in Celsissimum Salisburgensium Antistitem e vivis paucis ab hinc annis ereptum electus fuit, quo quidem splendidissimo Ecclesiae Principatu vix parem in Germania reperire possis, & duo ex Tuis amplissimis Fratribus in aliarum Ecclesiarum sollicitudinem vocati proximam illi amplitudinem adepti sunt. TV itaque, NOBILISSIME DOMINE, non tam

Patruus

pro-

propria virtute cohonestatus, quam Tuorum dignitate, atque auctoritate spectandus habe TIBI hanc MAGNIFICI LAVRENTII vitam, exemplum scilicet virtutis, doctrinae, ac magnificentiae, a quo non longo proximus intervallo pies, & quem Deo Duce, & auspice magnis passibus aequare possis. Vale, VIR NOBILISSIME, ac felix diu vive grande FIRMIANI GENERIS decus, ac dulce Litterarum praesidium. Iterum Vale. Dabam Florentiae Kal. Ianuariis An. MDCCIL.





LECTORI SVO

LAVRENTIVS MEHVS

S. P. D.





Entum ectoginta anni iam elapsi sunt, quum Philippus, & Iacobus Iunctae Typographi Florentini ediderunt hanc Laurentii Medicei Senioris Vitam Italice traductam, quam Francisco Medicei Cosmi Primi Filio consecrarunt. In epistola Iunctarum data Florentiae die VIII. Iunii 1568., *qua eidem Francisco editio inscribitur, testantur Iunctae Codicem MS. Italicae versionis ab autographo exscriptum Cosmo patri paucis ante annis donatum fuisse. Hic adservatur in Bibliotheca Mediceo - Laurentiana Plut:* 61.

Cod.

Cod. Chart. in fol. Num. 18., cui pro Iunctarum epistola praefigitur altera Baccii Valorii Nicolai Nepotis ad Cosmum Primum Florentiae, Senarumque Ducem, quae data est Florentiae die XX. Iulii 1567. Quamobrem non paucis ante annis, ut aiunt Iunctae, sed mensibus tantum MSta versio Cosmo donata fuerat. Creditum vulgo est, Italicam illam versionem a Philippo Valorio compositam fuisse. Et quidem quum duo Iunctae in epistola ad Franciscum Mediceum testentur; Codicem, qui nunc, ut diximus, in Medicea adservatur, Cosmo Primo donatum apographum esse ex autographo exscriptum; credibile est Baccium Valorium ex Italico Philippi patris autographo exemplum propria manu sumsisse, quod postea Cosmo Primo obtulit.

Hanc autem vitam Italice iamdiu editam elucubraverat latino idiomate Nicolaus Valorius Bartholomaei filius, Philippi iunioris pater, Baccii Avus. Fuit Nicolaus Valorius Marsilii Ficini una cum Philippo Fratre discipulus, ac Platonicorum dogmatum disciplinam sectatus est. Nonnullis Legationibus clarus, & illa praecipue ad Christianissimum Francorum Regem Reipublicae suae muneribus etiam functus est, quum ad summum suae civitatis Magi-

stra-

stratum evectus Prior Libertatis Reipublicae Florentinae gubernacula administravit. Quare in epitaphio ad D. Proculi aedem a Baccio Nepote eidem posito iure suo bene de Platonis dogmate, de Republica Florentina, & Laurentio Mediceo Seniore optime merens *appellatur.*

Sed Laurentii Medicei vita a Nicolao Valorio latine scripta adservabatur adhuc inedita in nitidissimo codice Membranaceo Bibl. Mediceo - Laurentianae Plut. 61. *Numer.* 3. *in quarto picturis nitidissimis ornato, quibus Leonis Decimi, Laurentii Medicei, Nicolai Valorii, aliorumque imagines exprimuntur. Arbitror apographum illud esse, quod Leoni Decimo Pontifici Maximo Nicolaus obtulit. Ex hoc itaque Codice Mediceo hanc editionem expressimus, quam aliquantulum castigavimus ope alterius apographi, quod nobis exhibuit Philippus Baro de Stosch Vir in re praesertim antiquaria celeberrimus. In MS. tamen Stoschiano deerat Nicolai Valorii proemium ad Leonem Decimum, quod exstat in Mediceo, cuius vice in Versione MS. legitur epistola Baccii Valorii ad Cosmum Primum, in altera vero impressa Philippi, & Iacobi Iunctarum ad Franciscum Flo-*

procemium

Florentiae, Senatumque Principem Cosmi Filium, ut supra animadvertimus. Ceterum Manu-Scriptum Mediceum latine exaratum diligentissime olim versaverat Iacobus Gronovius vir Clarissimus, eiusque margini nonnullas notulas interdum Graecas adposuit.

Praeterea constat hanc vitam a Nicolao Valorio compositam fuisse, quum iam Ioannes Medices Laurentii filius Cardinalatus honore fungeretur. Imo ex initio proemii ad Leonem Decimum pag. 1. eruitur eodem anno fuisse elucubratam, quo Laurentius Medices Ioannis pater obiit, quibus verbis annus 1492. indicatur, quo Laurentius Terras reliquit, rediturus (ut ait Valorius) ad Superos. Nihilominus Horatiani moniti memor eamdem plures annos domi pressit, donec Ioannes Medices sub Leonis Decimi nomine Pontifex electus esset, cui postea Laurentii vitam consecravit.

Decreveram huic vitae latino sermone scriptae versionem Italicam iamdiu editam ex altera paginae parte denuo recusam opponere. Sed quum Italica illa versio ab Iunctis publici iuris facta latinae passim paraphrasis, atque elucidatio mihi visa sit, ac praeterea multa in ea repererim vel perturbata, vel Nicolai

Va-

proemij

Valorii mentem non bene exprimentia, operae-pretium duxi eam omittere, quum potius invicem comparata legentis animum confundere, quam delectare possit.







AD LEONEM X.

PONTIFICEM MAXIMUM

NUMINI SUO DEVOTUS

NICOLAUS VALORIUS.


Enit ad Te, BEATISSIME PATER, Laurentius Medices Parens Tuus, cujus vitam olim ſcripſimus, quo tempore Terras reliquit rediturus ad Superos. Latuit diu ſub modio apud nos non quidem Dominici praecepti oblitos, ſed illud veritos, ne quam veſtem ipſi ſordidulis digitis contexueramus, ea indigna putaretur ſplendore tanti Viri praeſertim in publicum prodeuntis. Ceterum Aloyſius Roſcius Sacroſanctae R. E. Cardinalis, Tuaeque Sanctitatis deliciae, & Florentinae, atque adeo totius Chriſtianae Reip. decus, & columen nuper hortatus eſt, ut lucubratiunculam hanc noſtram in lucem ederem, Tibique dicarem affirmans Sanctitati Tuae, quaecumque de Parente acceperit, omnia fore gratiſſima. Feci, quod ſuaſit,

atque eo libentius, quo satis notum est Sanctitatem Tuam, PATER BEATISSIME, quo tempore Florentiam Pontifex primum ingressus es, visa Parentis effigie lachrymas tenere non potuisse. Acciderat idem olim & Alexandro Macedoni ad Achillis sepulcrum & Caesari Dictatori ad ejusdem Alexandri imaginem. Sed horum lachrymas expressit ambitiosa aemulatio: tuas vero dulcis amor, & pietas. Quid igitur futurum putamus, si nunc non solum vultum cera effigiatum, aut coloribus inumbratum, aut caelo excussum, sed Parentem Tibi totum, eiusque viventis facta, moresque monstravero? Sanctitatem Tuam supplices precamur, a Nicolao Valorio, qui Tibi vitam suam, & suorum omnium debet, accipias pacato vultu Parentis tui vitam, in qua facile es & in Te Patrem, & in Patre Te ipsum recogniturus, quorum alter fuit homo divinus, alter est Deus Humanus, uterque civitatis nostrae praesidium, & decus. Vale PATER SANCTISSIME.

Ma-



MAGNANIMI

LAVRENTII MEDICES

VIRI ILLVSTRIS

VITA

PER NICOLAUM VALORIUM EDITA
AD LEONEM X. PONTIFICEM MAXIMUM.



IN nobilissima Medicum Familia multi Praeclari, Magnique Viri fuere, in quibus Ioannes Medices, qui magno, & invicto animo Vicecomitibus se se opponens saepius Patriae nostrae liberta-

tatem, & communem omnium salutem tutatus est. Verius quoque in Equestri dignitate, quae prima apud Florentinos habetur, sine controversia princeps nostrae, quoad vixit, Reipublicae exstitit Rector, & Gubernator. Quid Cosmus ille Magnus, qui in magnis olim tempestatibus non solum patriam, sed Italiam omnem consilio, & opibus suis defendens meruit & a civibus suis dici PATER PATRIAE, & ab omnibus Italiae Conservator? Hic quum ditissimus & esset, & haberetur; tamen non minus sapientiae, quam pecuniae meritis per Terrarum Orbem ubique gentium celebratur. Fuit praeterea magnificentiae, & omnis liberalitatis specimen, quippe qui, ut cetera taceam, aedificando cum privatas aedes, tum publicas, & maxime ad Dei cultum impenderit plusquam quingenta aureorum millia: adeo ipse divitias, non illum divitiae possidebant. Cosmi filius fuit Petrus Magnanimi Laurentii pater, & ipse in Rep. princeps, dum vixit, & moderator, non solum parentis, & nati, sed sui quoque ipsius gloria nobilis. Nos in praesentiarum ceteris omissis Magnanimi Laurentii vitam pro ingenii tenuitate posteris commenda-

dabimus Viri sine controversia maximi, & cuius constat peculiarem curam Superos habuisse, quem Deus ab imminentibus periculis saepius eripuerit, & morientem Coeli clarissimis signis fuerint prosequuti.

Natus est Laurentius anno quadragesimo octavo supra mille quadringentos postridie Kal. Ianuarias. Eius statim parentes praecipuam curam habuerunt. Vix pueritiam ingressus traditur erudiendus Gentili Urbinati viro & doctrina, & moribus probatissimo, quem postea Episcopum Arretinum fieri curavit. Praebuit ab ipsis incunabulis signa manifesta futurae probitatis religioni admodum deditus, & pauperum ultra fidem misericors, & miserator. Audivi saepius a Gentile eius praeceptore, cum quo & in Gallia, quum ibi Legatum ageret, & in patria familiarissime vixi, Laurentium a latere suo discessisse nunquam: die in Templo, donec res divina perageretur, permansisse semper: nocte etiam secum ire solitum ad Divi Pauli Societatem, quo conveniebant plurimi Immortali Deo in sobrietate, & vigiliis, ac precibus gratias agentes: obvios Christi pauperculos eleemosynis prosequi ad unum omnes: nihil in eo

puerile, nihil delicatum apparuisse. Neque mirum, si talis puer Deo favente postea ad tantum dignitatis fastigium evectus esset, ubi honestissime vixit, & morte gloriosissima obiit. Addebat vivente Laurentio Italiam tranquillam, quietamque fuisse: eius morte confusa omnia esse, & immutata. Sed haec postea. Matrem habuit Lucretiam ex antiquissima Tornabonum Familia, quam semper etiam post parentis obitum mira pietate coluit illi in omnibus rebus plurimum deferens. Fuit autem femina ingenio, & bonis artibus, praeterea pietate, ac religione cum primis veneranda. Instrumenti Veteris Sacram Historiam magna ex parte versu elegantissime clausit: in domesticis rebus, quaecumque matronam deceant, nemini secunda: de indigentibus omnibus per omnem vitam optime merita miserorum portus, & refugium. Per eam Laurentius affinitates conciliare, puellas indotatas in matrimonium dare: ipse dotem conferre, Virginibus Deo dicatis, & arctiori Religionis vinculo astrictis, quarum Florentiae sunt coenobia plurima, necessaria suppeditare, in omnibus adesse. Eius fratres, qui non adeo tunc temporis divitiis abundabant, sibi socios in rationibus,

bus, & negociis suis afciscens, & uxores bene dotatas illis adiungens brevi reddidit locupletes. Hoc enim illi & natura ingenitum erat, & consuetudine auctum de omnibus bene mereri illud vere bonum existimans, quod in amicos, affines, & quamplurimos extenderetur. Quare adhuc iuvenis & Magnifici, & Magnanimi cognomen adeptus est, in qua virtute animo fuit non civili, sed regio. Optaverat adolescentulus equum pulcherrimum, fuit enim a primis annis equorum studiosus, & equitandi peritissimus. Eum ex Sicilia dono missum quum accepisset, munera remisit pretium equi longe superantia. Quare paedagogus, quo utebatur, multo, inquit, melius consuluisses rationibus tuis emendo. Et ille: an ignoras regium me donum accepisse, & illud non minus regium esse liberalitate non vinci? Sub Gentile praeceptore in liberalibus studiis maxime profecit utraque lingua Romana scilicet, & patria tam prosa, quam versu excellere. Legere memini opusculum eius amatorium cum eodem Gentile lepidum admodum, & expolitum, multiplex, varium, copiosum, elegans, ut nihil supra. Christophorus certe Landinus per ea tempora Poeta,

& Orator insignis viso carmine: in hoc, inquit, scribendi genere ceteros hic sine controversia superabit, id quod etiam suis scriptis testatum reliquit Nec mirum, quum ingenium alioqui maximum vis ingens amoris accenderit. Amabat enim Lucretiam Donatam feminam rarae pulchritudinis, & honestatis, praeterea nobilissimam, quae a generoso Equite Cursio illo Donato in armis peritissimo originem duceret. In puellae igitur laudem adulescens carmina composuit, & hymnos pulcherrimos lingua vernacula. Sed & spectacula edidit mira magnificentia, in quibus Equestre certamen, ad quod strenuus quisque Florentinae iuventutis, multi praeterea ex universa Italia in armis exercitati honoris, & gloriae caussa convenerunt. Maximus fuit equorum, & armorum, multo maior gemmarum, & auri apparatus. Ipse quamvis nondum adulescentiam egressus (vigesimum enim aetatis annum agebat) facile omnes animi magnitudine, & corporis viribus superavit, ut una omnium voce cum maximo populi applausu victor declarari meruerit. Statura fuit plusquam mediocri, latis humeris, solido corpore, ac toroso, firma, atque agili membrorum omnium com-

com-

compage. Sic in viribus subministrandis natura illi parens visa est. In ceteris, quae corporis dicuntur, potius noverca. Fuit enim colore sublivido, facie, in qua dignitatis plurimum, venustas nulla, pressis naribus, voce admodum rauca, visu ita debilis, ut parum prospiceret. Olfactu penitus caruit. In quo dicere solebat naturam sibi bene consuluisse, quum plura se se offerant naribus, quae male, quam quae suaviter oleant. Sed hos corporis defectus supplevit ingenii, atque animi dotibus, quas meditatione, & exercitatione assidua ita excoluit, ut nihil in eo desideraretur. Quum duo non parvi nominis cives pro surreptis pecuniis se invicem criminarentur, ubi ad Laurentium ventum est, statim ille perspexit, & notavit, qui pecunias surripuerat. Tantae fuit perspicaciae, nec minoris prudentiae. Ventura saepius praenoscens ita moderabatur, ut nihil omnino, aut parum in rebus offenderet. Ferunt Petrum parentem Laurentii admodum iuvenis consilio olim servatum fuisse. Nam quum in eum nonnulli coniurassent, positisque insidiis e suburbano redeuntem interficere vellent, monuit filius, qui ferebant, (lectica enim podagra laborans ferebatur) ne via

soli-

ſolita, ſed per compendia urbem peterent. Ipſe equo vectus conſuetum iter tenuit affirmans parentem ſequi, ac paulo poſt affuturum Ita inſidiatores eluſi, & ambo incolumes fere eodem tempore in urbem ſe receperunt. Fuerunt in hac coniuratione multi, plures quam a principio fuerint ſuſpicati ex prima nobilitate. Plebs quoque more ſuo novis rebus ſtudebat, & deſperata venia malum hoc in dies augebatur, cui niſi Laurentius una cum Antonio Puccio, nonnulliſque aliis occurriſſent (nam Petrum podagra prodire non ſinebat) profecto bonorum ſalus in diſcrimen maximum deveniſſet. Illi monendo, precando, pollicendo, obteſtandoque effecerunt, ut Lucas Pittius coniurationis caput ad meliorem partem inclinaret Idem poſt illum ceteri quoque fecerunt praeter admodum paucos, quos exilio civitas mulctavit. Hac coniuratione per Laurentium maxime ſedata Petrus quum domi, ut diximus, detineretur, nihil magnum vel privatim, vel publice per eumdem Laurentium non gerebat, qui modeſtia, manſuetudine, comitate civium animos in dies magis ſibi conciliare ſtudebat, ſuſpiciones removere, iras mollire, omnibus carus eſſe. Habebat enim hoc in

ani-

animo semper, ut amicos sibi ex inimicis redderet, aiebatque eum bene, fideliterque suis rebus consulere, qui ex minus benivolis sibi benivolentiores faceret. Audivi a Philippo fratre meo, quum Antonium Thebalduccium, qui in Laurentii perniciem machinatus plurima fuerat, ad illum reconciliandi hominis gratia perduxisset, se a principio statim petitionis aliquantisper dubitabundum conticuisse, Laurentiumque, quum hoc vidisset, humanissime dixisse: Philippe nihil tibi deberem, si amicum nobis commendares. Sed quod Antonium ex inimico amicum reddis, gratias ingentes ago, & posthac ab eiusmodi officio ne cesses velim. Paulo post exules Florentini Dietisalvus, & Angelus Azarolius concitaverunt Bartholomaeum Pergamatem in Florentinos Venetis primo occulte adiuvantibus, quem cum magnis equitum, ac peditum copiis adventantem excepit in Flaminia Galeacius Vice-Comes Dux Mediolanensium additis Regis Ferdinandi, & Florentinorum copiis. Sic represso hostium impetu Dux ipse se Florentiam contulit dubium natura, an victoria insolentior. Sed brevi perspecta Laurentii prudentia, at-

que

que animi magnitudine decrevit in amicitia permanere, quam Franciſcus pater cum Coſmo inierat, cuius conſilio, atque opibus factum eſt, ut ille adverſantibus Venetis Mediolani potiretur. Compoſitis igitur rebus Laurentius totum ſe ad Philoſophiae ſtudia contulit. Opera enim, & induſtria parentis Argyropulus ille Byzantius Florentiam venerat, ut Laurentium, & alios ex nobilitate primarios melioribus ſtudiis erudiret, ex cuius ludo tanquam ex Equo Troiano complures prodierunt Viri eruditiſſimi, quibus poſtea Laurentius, & domi, & foris uſus eſt in maximis, & graviſſimis Reipublicae noſtrae negotiis, in quibus Bartholomaeus Valorius pater meus, Donatus Azarolius, & Petrus Philippus Pandulphinus non ultimi fuerunt. Poſt Ariſtotelem Academiae amorei nceuſus Marſilio Ficino familiariſſime utebatur, ſub quo maxime profecit, ut etiam Platonis ſenſus intimos,& reconditos quoſque penetraret, id quod Ficinus ipſe in ſuis ſcriptis ſaepiſſime teſtatur. Aiebat idem Ficinus Laurentium dicere ſolitum abſque Platonica diſciplina nec bonum civem, nec Chriſtianae doctrinae peritum facile quemquam futurum. Quare hoc ſentiens quotieſcum-

que

que a publicis negotiis vacabat, ſemper Academiae inhaerebat cupiens maxime audire, & alloqui Ficinum, qu· Magni illius Coſmi alumnus apud Italos poſt tot ſecula primus Academiae fores non ſolum aperuit, ſed intima quoque adyta ſe duce penetravit. Cum Marſilio igitur aſſidue verſabatur, a quo quum ſecretum aliquod Divini Platonis myſterium acceperat, ingenii relaxandi gratia perlibenter Coſmi avi vitam, moreſque commemorabat ſubinde quaerens, quibus ille artibus ad tantum dignitatis faſtigium perveniſſet: num quiſpiam poſthac privatus in civili Reipublicae adminiſtratione ejus fortunam ſperare, & gloriam adaequare poſſet. Fuit enim Laurentius famae, atque ipſius gloriae admodum appetens, pro qua nullos labores, ſudores, vigiliaſque recuſavit nunc litterarum ſtudiis, nunc negotiis publicis, nunc privatis actionibus ita toto animo, ac mente intentus, ut divinum eius ingenium velut lucidus ignis ſemper arderet. Nulli unquam luxui, aut ſomno deditus ſemper mente aliquid cogitabundus parturiebat, quod mox in lucem ederet. Ex Caregio ſuo in urbem rediens Satyram in bibaces argumento e re nato inchoavit ſimul, & abſolvit,

opus

opus in ſuo genere conſumatiſſimum, ſalibus plurimis, & lepore conditum. Fuit enim in hoc homine cum gravitate urbanitas multa. Quum iocabatur, nihil hilarius: quum mordebat, nihil aſperius. Carolus eius gentilis male audiebat, quod rapacior eſſet. Huic affirmanti aquas ſibi in villa ſua ceteris lucidiores, & abundantiores eſſe: ſi ita eſſet, inquit Laurentius, manus haberes multo nitidiores. Quum Bartholomaeus Sozinus Senenſis in convivio diceret Florentiae ſubtilitatem aeris plurimum oculis, & viſui nocere in Medicem cavillatus, qui natura minus proſpiciebat, verum, inquit Laurentius, eſt, quod dicis. Florentiae diſtillatio oculos impetit: ſed Senis caput, & cerebrum. Familiari cuidam, qui de eo aſperius locutus fuerat, accuſanti naturae ſuae, ut dicebat, inconſtantiam, dixiſſe fertur: at ego te conſtantiſſimum arbitror, qui de omnibus ſemper male loquaris, & ſentias. Illud mirum in hoc viro fuit, quod duo diverſi humores, quorum alter ingenium, alter iudicium auget, adeo temperati fuerunt, ut neuter, quod raro accidit, alterum impediret. Sic nec igneus ille ingenii vigor celeritate, ac levitate ſua iudicium praepediebat,

nec

nec qui iudicium facit, ingenii acumen hebetabat. Sic quid agendum esset, & cito prospiciebat, & mature deliberabat.

Mortuo parente annum unum agens supra vigesimum consensu omnium primum civitatis locum adeptus est, quo tempore tanta se modestia, tantaque prudentia gessit, ut supra aetatem omnia facere videretur Seniorum consiliis inhaerebat praesertim Thomae Soderini, & Ioannis Canisiani in Ordine Equestri facile principum, & Antonii Puccii viri prudentissimi. Quotidie fere nunc hunc, nunc illum adiens de rebus agendis consulebat, id quod per omnem vitam servavit, ut diligentius exquireret super qualibet re, quid aliis videretur, licet vel magnitudine ingenii, vel quavis alia causa persaepe cui confideret, & summam secretorum crederet, permutarit. Illud tamen in gravissimis rebus observavit, ut quos consiliarios, ac socios in administranda Rep. habebat, eos clam per secretarios suos non universos, sed singulos consuleret. Sic collectis eorum sententiis facilius, meliusque ipse iudicabat affirmans qui consulentes alios audit, eum habere, ut eius verbis utar, cerebrum & suum,

& a-

& aliorum. Ad hoc qui singulorum sententias perceperit, eum mox addendo, vel detrahendo facile posse signum veritatis attingere, si forte res ipsa in disputationem devenerit. Illud quoque observabat diligentissime, ut quos sibi, aut Reip. natos iudicaret, eos beneficiis, & omni benivolentiae genere devinciret. Animo demissos, aut fortuna pressos sublevabat omnibus manum, & auxilium porrigens, affirmans si minus omnes, certe aliquos memores fore, & gratos. Se quidem boni, & prudentis viri officio fungi. Sed ea res in eius, & Reip. magnis tempestatibus saepius profuit plurimum, & manifestae salutis caussa fuit. Interea Galeacius Vice-Comes recordatus Laurentii, cuius olim prudentiam ante annos, animi magnitudinem, gravitatem, & modestiam admiratus fuerat, decrevit post Petri Medicis obitum iterum Florentiam petere, ut & Laurentium in recenti administratione confirmaret praesentia sua, & de rebus communibus tam ad bellum, quam ad pacem spectantibus simul decerneret. Haec adventus caussa fuit, licet ex voto venisse simulaverit. Hunc una cum uxore Sabbatiae Ducis filia propriis aedibus Laurentius excepit luxu regio,

tan-

tantaque apparatus magnificentia, ut Galeacius dicere solitus sit, non se solum, sed Regem quemlibet quovis magnificentiae genere a Laurentio superatum, nec poterat non mirari in privata fortuna tantas opes, & tantam rerum omnium copiam, aurum, gemmas, ac regiam supellectilem Se quidem posse pecuniae thesauros ostendere: sed in privatam Laurentii domum ex toto Orbe quaecumque nobilissima confluxisse. Et vere quidem. Nam Laurentius ipse, (ut de Cosmo taceam)quidquid ubique gentium pretiosum fuerat, qua magnificentia fuit, ex toto Orbe collegerat. Quin & communi utilitati consulens neque laboribus ullis, neque sumptui unquam pepercit. Libros comparavit non ornatos, sed vetustate ipsa, & castigatione conspicuos in Graeciam, & per totam Europam, Asiamque diversos mittens, qui codices & Graecos, & Latinos exquirerent, & quovis pretio comparatos ad se deportarent, in quibus fuit Ioannes Lascares Graecus vir litteratissimus, nec solum litteris, sed etiam nobilitate, & moribus praestans. Hic peragrata Graecia, & maxima Asiae parte complures attulit vel unicos, vel rarissimos. Fuit certe Laurentius adeo vetu-

ſtatis amator, ut nulla re magis caperetur. Platonis imaginem diu, multumque deſideraverat. Hanc tandem in ipſis Academiae ruinis repertam quum a Hieronymo Roſcio Piſtorienſi accepiſſet, gaudio exultavit, ut Marſilium dicentem audivi, eamque ſumma ſemper in veneratione habuit. Quare quicumque tanto Viro rem gratam facere ſtudebant, numiſmata tam materia, quam arte pretioſa, toreumata, & quidquid antiquitatem redoleret, ex qualibet Orbis parte ad eum certatim deferebant. Ego ex urbe Neapoli in patriam reverſus Divae Fauſtinae, & Africani effigiem ex marmore, & complura admodum vetuſta miro artificio caelata ad eum miſi, quae quo vultu, quam grato animo acceperit non facile dixerim. Haec ubi undecunque comparaverat, domi apud ſe venerabundus cuſtodiebat, oſtendens non palam omnibus, ſed generoſo cuique: pleraque in conviviis tantum lautioribus, & honeſtamenti gratia. Federicus Urbinas Dux ſuorum temporum praeſtantiſſimus, nec ſolum armis, & bello, ſed in pace quoque, & bonarum artium ſtudiis excellens, quum haec per Laurentium vidiſſet, miratus diu materiam, et artificis manus, ſed multo etiam magis rerum

rum vix credibilem copiam dixisse fertur : proh quantum studium, et amor potest! Video Regiam supellectilem, sed quam Regum nullus pecuniis suis, non bello, non auctoritate parare possit. Sed iam ad Galeacium revertamur, qui licet publice ludis plurimis, et omni munificentiae genere honoratus abiret, miris tamen laudibus Laurentii imprimis virtutem efferre, affirmans Florentinorum urbem inter omnes alias pecuniis abundare: in imperio autem suo maiorem, quam usquam alibi, virorum, et armorum copiam esse, quibus rebus fieri, ut simul coniuncti non solum lacessentibus resistere, sed etiam, ubi opus fuerit, ultro ipsi hostes lacessere valeant. Loquebatur fortasse Dux, quae sentiebat: fortasse etiam, ut Laurentium in amicitia, et societate secum contineret. Nam inter Galeacium, et Ferdinandum iam simultas coeperat, quae paulatim crescens tantum potuit, ut Galeacius posthabito Rege Florentinis persuasit, una secum cum Venetis foedus, atque amicitiam iungerent. Quae res multorum, quae deinde secuta sunt, malorum causa fuit, et principium. Qua de re paulo altius repetam, ut cetera facilius cognosci possint. Mortuo Paulo Pontifice Maximo Franciscus Savo-

nensis successit, cui postea Xysto cognomen fuit, ad quem quum Laurentius venisset Florentinae Legationis Princeps exosculaturus de more Pontificis pedes, tam honorifice ab eo excipitur, ut nihil magis optare Pontifex videretur, quam Laurentii amicitiam, & Florentinae Reip. societatem. Nam & eum statim Apostolicae Camerae thesauris praefecit, & rationum eius socios ita tractavit, ut brevi omnes, & maxime Ioannes Tornabonus eius avunculus maximas sint divitias consequuti. Gemmas quippe, & margaritas, quibus comparandis Paulus Pontifex unice studuerat, plerasque illis aut nullo, aut parvo admodum pretio concessit. Consensit etiam, ut Volaterrae urbs natura loci, & moenibus munitissima Florentinorum adderetur imperio, id quod paulo post per Federicum Urbinatem, de quo superius diximus, effectum est. Sic & publice, & privatim manifestis summae benivolentiae signis hominem prosequutus quam honoratissimum in patriam dimisit, qui tamen ad suos reversus non diu in Pontificis amicitia permansit. Qua in re tanti Viri constantiam, prudentiamque non pauci desiderabant. Sed fatis credo urgentibus evenisse omnia, ut eius in

re-

rebus adversis virtus in dies magis eluсesceret. Initium dissensionis fuit Forum Cornelii. Quum enim Laurentius cum Galeacio convenisset, ut haec urbs in Florentinorum ditionem persoluta pecunia perveniret, Xystus disturbata re Hieronymo Comiti dandam procuravit pro eadem pecuniae summa, pro qua fideiussorem se exhibuit contra Laurentii voluntatem Franciscus Paccius, qui Romae eo tempore negociabatur, id quod utriusque animos invicem alienavit, quum Laurentii opera satis provisum esset, ne alius sponsionem subiret, ut urbem illam Florentini haberent, vel saltem Galeacii animus detegeretur. Xystus contra conquerebatur, Nicolaum Vitellium Laurentii opera contra Pontificis arma ita defensum fuisse, ut ex Tipherno urbe ditioni Ecclesiasticae subiecta eum expellere nequiverit, nisi persoluta prius auri summa non parva cum maximo Pontificis, & Ecclesiae damno, ac dedecore. Hinc primae irarum caussae, quibus adeo animi exarserunt, ut & Romae plurima de Laurentio vulgo dicerentur tanto Viro indigna, & Florentiae Pontificis minister non admodum honeste haberetur. Quibus rebus indignatus Pontifex primum Florentiae inte-

testinas seditiones suscitare tentavit. Deinde icto foedere cum Ferdinando Rege validissimum exercitum comparare curavit, quibus rebus ad votum facile succedentibus ulcisci Laurentii iniurias statuit. Erat ea tempestate Florentiae Pacciorum Familia & divitiis, & affinitatibus potens, quae Medicis admodum infensa novas res appetebat. Rex autem a Galeacio, & Florentinis posthabitus Pontificis partibus in primis favebat. Sic uterque compositis rebus tacito consilio in Laurentium, & Iulianum Fratres coniurant. Sed quoniam tantum facinus Christiano Pontifice indignum videbatur, Hieronymo Comiti Pontificis, ut dicebatur, Nepoti res omnis commissa est. Hic Franciscum Paccium, qui Romae honorifice admodum, ut diximus, negociabatur, quique saepius pecuniis suis Comitis rebus usui fuerat, & quem Medicis infensum cognoverat, primum super hac re tentare: deinde Franciscum Salviatum Pisanum Praesulem Laurentio vel maxime iratum, quod per eum Archiepiscopatus sui possessio, & proventus impediretur, qui quum ad omnia paratissimi essent, Paccius de communi consensu Florentiam properat, ut rem ipsam aperiat Ia-

Iacobo patruo, qui Pacciae Familiae caput erat, quem quum tandem in sententiam suam traxissent, statuunt Laurentium, & Iulianum Fratres e medio tollere. Sed res difficilis admodum videbatur, quod iuvenes raro simul erant, nec nisi in tuto conveniebant. Praeterea amicorum semper, & propinquorum praesidiis ubique muniebantur. Ceterum consueverat Laurentius Viros dignitate aliqua praestantes, quicumque Florentiam adventabant, vel domi apud se habere, vel convivio saltem accipere. Raphael Riarius Comitis Nepos Romanae Ecclesiae Cardinalis per haec tempora Florentiam venerat, sive ut coniuratos praesentia sua confirmaret, illisque cum suis satellitibus praesto esset, sive ut sic facilius occultarentur insidiae, quae iuvenibus parabantur. Hunc quum Laurentius in Fesulano suo lautissimo convivio accepisset, decreverant coniurati ibi inceptum facinus perpetrare. Sed quum Iulianus abesset vel consulto, vel casu (nam per hosce dies non satis recte valebat) consilium caedis, & locum mutavere Templum eligentes Virgini Genitrici dicatum, quod est in media urbe amplissimum. Ferunt Iulianum a Francisco Paccio quasi invi-

tum, quod parum belle se haberet, domo extractum ad Templum accessisse, ubi & Laurentius erat absque ullo timore securus, quod in Templo sub divino praesidio esset. Fuerat coniuratis signum. Quum Sacerdos in altare, quod in medio Templo est, manibus Eucharistiam frangeret, tunc Fratres confoderentur, & partes quisque suas exequeretur. Ad Laurentii necem destinatus fuerat Ioannes Baptista Siccus vir strenuus, & Hieronymo Comiti beneficiis compluribus obstrictus. Is, quum paullo ante Laurentium alloquutus esset, vel Viri prudentiam admiratus, vel maiestate deterritus, vel quod in medio Templo tam atrox facinus patraretur, certe sic volente Deo, in cuius manibus omnia sunt iura Regnorum, susceptum munus detrectavit, neque tamen coniurationem aperuit. Quare nec amicis, nec inimicis, nec sibi etiam, ut par erat, consuluit. Sed Baptistae partes suscepit Stephanus Sacerdos homo manu promptus, & audaciae perditae, & cum eo Antonius Volaterranus. Iulianum vero confoderent Franciscus Paccius, & Bernardus Bandinus, statimque ad alterum, Laurentii videlicet necem advolaret. Sed Divina Providentia factum est, ut Paccius,

cius, quum Iulianum pugione confodit, ipse quoque vulneratur vel a sociis, vel ut magis creditur, a se ipso, ita ut neque gladium manu tenere, neque iam pedibus subsistere posset. At Laurentium Stephanus a tergo aggressus prope vetus Templi Sacrarium iam in collo vulnerat. Sed ille non minus corpore, quam animo promptus quum ceterorum ictus strenue evitasset, incolumem se cum paucis per medium Chorum in novum Sacrarium recepit, obiectisque postibus, quae aeneae sunt, imminentem cervicibus suis Bandinum evasit. Inde paulo post amici, & propinqui eum ad proprias aedes perduxerunt. Qui in Templo fuerant, clamoribus territi huc, atque illuc cursitantes veluti attoniti, quid nam rei fuisset, quaeritabant. Fuere, qui crederent Templum ruere. Sed ubi fama perpetrati facinoris invulgata est, tumultuatum est per totam urbem, & ad arma concursum. Iam ante Laurentianas aedes populus ingens de illius salute sollicitus convenerat; quibus ut animum confirmaret, quum se e fenestris vulneratum quidem, sed alioqui incolumem ostendisset, tanto plausu, tantisque acclamationibus exceptus est, ut exprimi non possit. Ferunt Sic-

cum,

cum, quem ſupra diximus Laurentii caedem detrectaviſſe, quum non procul in diverſorio eſſet, audito clamore ad ſuos converſum dixiſſe: ſunt ne, quas audio, voces inimicorum, quos coniurati aiebant, ſimul ubi res coepta eſſet, contra Laurentium arma ſumturos? Dum haec circa Laurentii aedes aguntur, nonnulli ex coniuratis ſummum Magiſtratum, qui in publico Palatio commoratur, per dolum aggreſſi comprehenduntur. Illud quidem non ſatis mirari poſſum, Laurentium in tanto ſuo diſcrimine Cardinalis, de quo ſupra diximus, curam peculiarem habuiſſe, ut incolumis ſervaretur, idque contra plurimorum acclamationes, qui ut viderunt de Franciſco Paccio, & Praeſule Piſano, ac aliis nonnullis ultimum ſupplicium ſumtum fuiſſe, de Cardinali quoque ſupplicium ſumendum clamitabant. Quibus Laurentius: non patiar, inquit, quod Florentina civitas, quae ſemper Apoſtolicae Sedis devotiſſima fuit, nunc tali nota maculetur, & imo trahens de pectore vocem: ſatis, inquit, ſuperque ſaevitum eſt, ſatis cruoris effuſum. Sic unius Laurentii cura, & opera Cardinalis ſervatus non multo poſt Romam ad Pontificem rediit. Sed & quamplurimi

rimi alii vel culpae affines, vel coniuratorum propinqui eius clementia fuere servati, in quibus Guilielmus Paccius una cum uxore Blanca, & filiis, quos apud se in tuto tamdiu esse voluit, quoad civitas conquiesceret. Sic & alios salvos voluit reclamantibus plurimis vel natura, vel metu saevientibus. Audivi a Philippo fratre, qui cum cetera nobilitate eo temporis ab eo nunquam discessit, clamoribus suorum commotum Laurentium dixisse: magis me istorum nimis sedula acclamatio, quam mea ipsius calamitas turbat. Sic absque ulla odii significatione de unoquoque cive loquebatur crimen in paucos referens. Erat Aduardus Salviatus Francisco Salviato Pisano Archiepiscopo, de quo paulo superius supplicium sumtum diximus, propinqua necessitudine coniunctus. Hic in tanto suo periculo, ac populi furore se se, (ut par erat) abdiderat. De illo quum Laurentius fratrem, qui illi gener erat, percunctatus esset, & frater respondisset de interitu illum potius, quam de salute cogitare, cuius affines tantum facinus perpetraverint; volo, inquit, hominem videre. Quare accersito Antonio Puccio eum ad nos quam tutissime perducetis. Quod ubi factum est, tanta comitate hominem excepit, ut adstantium nul-

nulli potuerint prae gaudio lachrymas continere. Sic & suam animi magnitudinem ostendit, & ceteros coniuratorum propinquos, & affines, atque adeo cives omnes spe bona replevit. Ipsum deinde Aduardum & publice, & privatim in omnibus rebus semper familiarissime habuit, Iacoboque Salviato eius nepoti iuveni omni virtute praedito filiam suam natu maiorem, quam unice diligebat, post paulo in matrimonium collocavit. Studuit semper Laurentius publicae civium concordiae eos affinitatibus, & quovis benivolentiae vinculo constringens. Dicere solitus est, quemadmodum corpus intus bene (ut eius verbis utar) dispositum minus extrinsecus frigore, & calore, & ceteris eiusmodi commovetur; sic civitates, quarum membra sunt cives, si concordes, atque unanimes illi fuerint, facile posse quemvis extraneum impetum substinere, ac propulsare. Idem Laurentius de Italia sentiebat, & loquebatur, in concordia nihil esse, quod formidaret: in discordiis vero brevi externo aliquo impetu perituram. Quare hortantibus amicis a Rege Francorum sibi amicissimo auxiliares copias, quas ille ultro pollicebatur, accersiret, quo facilius bellum

pro-

propulſaretur, quod a Ferdinando, & Xyſto immineret: non eo, inquit, ventum eſt, ut cum periculo totius Italiae rebus noſtris conſulamus. Utinam Gallorum Regibus nullo tempore in mentem veniat vires ſuas in hac terra experiri. Quotieſcumque illud acciderit, actum eſt (mihi credite) de Italia univerſa. Compoſitis domi rebus convertit animum ad vires comparandas, & arma, quibus ſe, Remque publicam a Romano Pontifice, & Ferdinando Rege tutaretur. Illi enim, quum fraudes, & inſidiae ad votum minus ſucceſſiſſent, ad vim inferendam converſi iunctis copiis duce Alphonſo Ferdinandi filio tanto impetu Florentinorum fines ingreſſi ſunt, ut non ſolum de imperio, ſed de libertate quoque noſtra dubitandum videretur. Addebatur viribus tantis ars quaedam, & fraus: ſiquidem invulgaverant, ſe non contra Florentinos, ſed contra Medices arma ſumſiſſe. Si Laurentius unus ex urbe pellatur, receſſuros ſe ſtatim, & in pace omnia relicturos. Quod ut facilius aſſequerentur, Pontifex Sacris civitatem interdixerat, ſi forte aliquis in urbe motus ob hanc rem exoriretur. Sed maxima fuit benivolentia, & fides totius populi in Laurentium,
nec

nec minor optimatum prudentia, qui se hisce artibus circumveniri non paterentur. Igitur neque agrorum populationibus, neque interdictis ullis moti unanimes ad defensionem libertatis, & patriae conversi sunt. Primo scientes belli nervos esse pecunias, eas quam maxime collegerunt. Deinde accersitis sociorum auxiliis exercitum validissimum paraverunt, quo hostilem impetum reprimere, & eos quoque superare facile potuissent, nisi aliquibus nutrire potius bellum, quam vincere placuisset. Veneti enim, qua semper ambitione fuerunt, Italiae imperium affectantes, & nostras, & hostium vires debilitari cupiebant. Sic bellum in longum trahi. Milites vero, qui a Duce Mediolanensi ad nos in auxilium venerant, ob Principis aetatem primo parum concordes fuerant: mox a Ludovico Vice-Comite in patriam ante finem belli revocato eius unius arbitrio regebantur, qui quamvis palam Laurentii partes ob commune civitatis commodum sequeretur, occulte tamen illi infensus erat, cuius rei caussam, ut notior sit, paulo altius repetam. Interfecto Galeacio a Ioanne Andrea Lampognano, nonnullisque aliis successerat Ioannes Galeacius eius filius adhuc impu-

puber, ad quem Laurentius paternae amicitiae memor Thomam Soderinum misit virum prudentissimum, qui una cum matre, & Sicco, qui Galeacio a secretis fuerat, res pueri, & Mediolanensium administraret. Sic res feliciter gerebantur maxima quaeque Laurentio per Soderinum decernente. Hoc aegre ferens Ludovicus Galeacii frater indignari, quod nepos non patruorum, sed alienigenae arbitrio regeretur. Haec cum reliquis fratribus primum conqueri: deinde illis, & Roberto Sanseverinate adiuvantibus multa in perniciem Ducis moliri, quippe qui imperium illud omne iam animo invaserat. Sfortia. frater natu maior natura quietior in Regno Neapolitano Barii Dux erat. Talibus consiliis Laurentius, & Soderinus occurrentes Bonae, quae mater Ducis erat, persuadent, ut quamprimum Ducis patruos, & Robertum Sanseverinatem ex urbe Mediolano expellant. Sic Ludovicus Pisis relegatur, ubi non diu permansit. Nam volens, ut postea dictitabat, rebus suis tutius consulere, & sibi a Laurentio cavere, in Regnum Neapolitanum se contulit, ibique tamdiu moratus est, quoad eum Bona Ducis mater, ut est varia, & mutabi-

lis

lis ſemper femina, in patriam revocavit. Praedicente Sicco, quod ſimul & mulieri adminiſtratio, & ſibi caput eriperetur; tamen plus valuit natura mulieris, & quorundam nobilium perſuaſio, qui Sicci potentiam indignabantur. Haec ipſa eo tempore acta ſunt, quo Florentinorum res ob militum inertiam, ac diſſenſiones, & voluntariam Venetorum ignaviam inclinare, & ruinam minari videbantur. Nam ob diuturnum bellum aerarium publicum, atque adeo civitas omnis pecuniis exhauſta erat. Proventus, & negociatorum rationes magna ex parte defecerant, ſubditi oppreſſi, ager populationibus vaſtatus, maieſtaſque omnis Florentinae Reip. veluti ſenio confecta videbatur. In tantis difficultatibus Laurentius plurima ſecum volvens, quod in hoſtibus vires magnae, apud ſocios fides nulla, peractis prius Sacris, ut ſemper facere conſueverat, ſtatuit extrema tentare, & ut patriam liberaret, ſe, ſuamque ſalutem alieno arbitrio, fortunaeque committere. Quamobrem conſilio ſuo Decemviris, qui bello praefecti erant, participato, denique compoſitis rebus ex urbe Florentina tacitus diſceſſit Piſas petiturus. Sed ex itinere litteras publice mittit conſilium ſuum ape-

pe-

periens, rogans, ut forti, & invicto animo, si quid aliter de se forte acciderit, libertatem, & patriam tutarentur. Experturum se, an bellum sanguine fratris coeptum suo finiatur. Litterae recitatae sunt in Senatu assensu vario, ita tamen, ut nemo a lachrymis temperaret. Movebat omnes tanti viri desiderium, qui pro salute patriae nullis suis laboribus, aut periculis parceret. Tollebant ad Coelum alius animi magnitudinem, alius prudentiam singularem, & in extremis rebus novum consilium. Tandem unanimes decrevere ad Regem, quando ita vult, Legatus proficiscatur cum maxima totius civitatis auctoritate. Quum Pisas venisset, inde parata triremi Neapolim per Mare, ut Pontificis manus evitaret, ad Regem se contulit. Ferunt, quum e navi egrederetur, tantam mortalium multitudinem spectatum venisse, ut ab ipsa mole usque ad arcem novam omnia plena essent. Convenerunt ex omnibus Regni partibus, mortales plurimi visuri tanti nominis Virum. Aspiravit igitur primo fortuna labori, quod sospes appulerit, quod ingens mortalium multitudo quasi obviam prodierit. Sed & ipse hilari vultu, & grata modestia se in omnium mentes

insinuavit. Nuntiatur Regi Laurentium Medicem e navi egressum invicto animo, fiduciae plenum. Mittit obviam honoris causa Federicum Filium, & Ferdinandum nepotem, nonnullosque alios ex nobilioribus, qui ad se hominem deducant, quibus nullum prae se Laurentius animi timorem ostendit, id quod degeneres faciunt, sed certam spem salutis, atque adeo fortunarum omnium. Ubi ventum est ad colloquium, pluribus verbis, multa rerum, & exemplorum copia, & rationibus efficacissimis Regi persuadet, ut pacem, quam bellum malit, & Italiae patronus nullius perniciem, sed omnium salutem velit. Hoc Regium esse ex hostibus socios, ex inimicis amicos facere. Tanta fuit dicendi vis, ut Rex, & Comes Metaloniccensis ambo suorum temporum sapientissimi illius prudentiam, & dicendi copiam admirati dixisse ferantur: *vicit praesentia famam*. Rex tamen diu anceps modo in hanc, modo in illam sententiam animum inclinabat. Hinc Xystus Pontifex Maximus, ceterique, qui Laurentium odio prosequebantur, ad hoc natura Regis asperior, qui nemini unquam pepercerat, & alia multa Laurentii saluti adversabantur. Ex alte-

altera parte videbat Rex sagacissimus, si hominem talem sibi beneficiis devinciret aetate florentem, & prudentia singulari, hoc ipsum & sibi, & successoribus cum usui, tum ornamento futurum, id quod post paulo accidit. Rem tamen in longum trahens occasionem Florentinis tumultuandi praebere, quod etiam Vice-Comes a principio vel maxime cupiebat subinde seditionum fomites sed clanculum subministrans. Sed mira fuit omnium benivolentia, & fides. Plebs ipsa, & patres absentis desiderio ad unum omnes afficiebantur. Aduardus quoque Salviatus, de quo supra diximus, Summi Magistratus caput, quem Iustitiae Vexilliferum appellant, affirmabat emori malle, quam fidem & Reip., & Laurentio datam non servare. Ipse interim Neapoli quum detineretur, omni virtutis genere omnium sibi animos liberalitate praesertim, & munificentia conciliare. Audivi a viris fide dignis, qui eo tempore cum eo in contubernio fuerunt, incredibilem pecuniarum summam Laurentium erogasse non tantum in conviviis celebrandis, & eiusmodi munificentiae genere, sed in collocandis puellis quoque, quae ad illum ex Calabria, & Apulia

agminatim concurrebant. Addebant, qui se in die omnibus hilarem, gratumque praebebat, eumdem in nocte, quasi duas personas gereret, secum ad miserationem usque lamentari solitum nunc suam ipsius, nunc patriae vicem dolere. Tandem Rex virtutem hominis admiratus, & Florentinorum in eum constantiam, & fidem, suorumque persuasionibus motus, quorum animos sibi Laurentius conciliaverat, praesertim ipsius Comitis Metalonicensis, de quo supra diximus, qui ceteros omnes & consilio, & auctoritate apud Regem anteibat (& iam Vice-Comes salubrius sibi, & rebus Italis consulens Laurentio favebat) decrevit in patriam ad suos eum dimittere omni beneficiorum genere sibi obnoxium, ac tanti viri amicitiam, & fidem malle, quam Xysti Pontificis, & aliorum, quicunque Laurentium, & Florentinos odio prosequebantur. Comparatis igitur triremibus omni humanitatis, & benivolentiae genere hominem prosequutus dimisit. Sic dimissus Liburnum primo, deinde Pisas appulit, quibus in locis exceptus est tanta laetitiae significatione, tantisque eorum, qui multi eum praestolabantur, benivolentiae signis, tantoque plausu, & incolarum acclama-

tio-

tionibus, ut exultare etiam loca prae gaudio viderentur. Sed quomodo Florentiam ingressus exceptus sit, exprimere impossibile arbitror. Concurrebat omnis aetas, sexus omnis. Plebs patribus mixta gaudebant videre incolumem, reducem laetabantur. Gestientes prae laetitia omnes consalutabant, nobilitas exosculabatur. Manum ille omnibus porrigere, comiter omnes, atque humaniter excipere. Sic a Rege dimissus, sic ad suos reversus convertit animum statim ad Reip. formam in melius componendam. Senatum primo delegit Viros LXX., quorum consiliis Respublica, & bello, & pace administraretur. Deinde ut fides publica servaretur excogitavit, quomodo pecuniae illis, qui mutuaverant, redderentur, civitasque tam diuturno bello vexata, & exinanita reficeretur. Utrumque imprimis difficile. Nam & pecuniae reddi non poterant, nisi exactionibus novis civitas gravaretur, & exactiones semper, tum vero in pace molestae sunt, & odiosae. Huc accedebat, quod rationibus eius praefecti, qui ubique gentium per omnes Orbis partes negociabantur, alienum aes grande conflaverant, quod summam excederet ducentorum millium aureorum.

Sed tantis & rerum, & temporum difficultatibus circumventus nunquam animo decidit, nulla munia aut privatim, aut publice omisit. Primum diligentia sua nullis impositionum novis oneribus ita vectigalia publica auxit, ut brevi creditoribus omnibus majori ex parte fuerit satisfactum, in quibus uni Laurentio Medici Petri Francisci filio, quem semper post parentis obitum pro filio habuerat, plusquam quinquaginta aureorum millia ipse ex paternis possessionibus restituit. Sic & ceteris Reip. creditoribus ex publico satisfactum est. Adeo potens pecuniis Florentina Resp. est, ut & temporibus belli diu perdurare, & ubi pax advenerit, statim convalescere possit. Fuit tamen necesse eius quoque rationibus, ne fides deficeret, ex aerario publico providere, quod ubi factum audivit, adeo moleste tulit, ita invitus accepit, ut de praefectis earum aspere semper, atque acerbe conqueri solitus sit, qui se in eam necessitudinem compulerint, ut opus fuerit vel a fide decidere, quod illi, & patriae turpe admodum erat, vel pecunias publicas, quod alias nunquam acciderat, in privatas utilitates convertere. Ex eo tempore mercaturam exhorruit, quae

non

non ſolum ſit fortunae ludibrium, ſed ex adminiſtrantibus quoque tota dependeat. Quare ad agriculturam deinceps converſus eſt, quod proventus inde certiores ſint, & iuſtiores, nec principe viro indigni. Sic in Piſano agro Agnanum excoluit locum amoeniſſimum omnem paludem exſiccaturus, ſi diutius in vivis fuiſſet. In Volaterrano quoque provinciam ſatis amplam fertiliſſimam reddidit. Circa quoque Praetorium Caianum, quod regali magnificentia a fundamentis erexit, praedia habuit proventus maximi, & amoenitatis plurimae, quibus in locis frequens eſſet venationibus deditus, ſed multo magis falconum, & eiuſmodi avium volatibus. Poſt reditum in patriam ſaepe Italiam ſervavit. Primum quum Ferrariam urbem ex Venetorum faucibus eripuit, quae illis anſas praebuiſſet ad Ciſalpinam, atque adeo Italiam totam capiendam, de qua re paucis quam veriſſime potero abſolvam. Xyſtus Pontifex Maximus quum ſe a Ferdinando deluſum, certe poſthabitum videret, ſtatim confugit ad Venetos, quorum auxiliis acceptam a Rege iniuriam ulciſceretur, nec dubitavit (tantum irae indulſit) properantibus ſtimulos addere ad imperium propagan-

dum. Permisit enim, contra Ferrariensem Ducem Ferdinandi generum arma moverent, & castris positis urbem obsiderent Romanae Ecclesiae viribus, ac ditioni subiectam, quod nisi annitente Laurentio Florentinorum auxiliares copiae praesto fuissent, ceterorum mox auxilia procul dubio vana extitissent. Obsidio longa, & atrox fuit. Florentini tamen consilio, & opera Laurentii commoti opem afferre nunquam destiterunt, quorum pecuniis maiori ex parte bellum gerebatur. Dum haec apud Ferrariam geruntur, interim Laurentius per homines, quicumque huic rei opportuni videbantur, Xystum sibi reconciliare tentabat: suadere, ne Italiae servitutem vellet: ne potentiam Venetorum Ecclesiae non minus, quam ceteris formidabilem augeret. Et forte eodem tempore Alphonsus Regis filius Ecclesiae fines cum ingentibus equitum, peditumque copiis ingressus a Roberto Malatesta, cui Magnifico cognomen fuit, victus, & profligatus fuerat tanta hominum strage, ut planities, quae Velletro adiacet, ubi pugnatum est, etiam nunc Campus mortuus appelletur. Quare Pontifex Regis potentiam debilitatam videns, & satis poenarum ab eo accepisse

se

ſe ratus facile Laurentii conſiliis, & rationibus adhaeſit, quem videbat iniuriarum veterum oblitum non deſiſtere a Ferrariae ſalute, atque adeo totius Italiae procuranda. Quo tempore Xyſtum dixiſſe ferunt exoptaſſe ſe Laurentii ſaepius amicitiam cognita Viri prudentia, & fide, ſed fatis ſemper adverſis. Sed iam viſurum, an verum ſit, quod aiunt, ſapiens dominabitur aſtris. Conſiliis igitur in melius verſis cum Rege, Vice-Comite, & Florentinis foedus, ac ſocietatem iniit, ſtatimque de obſidione ſolvenda, deque Venetorum potentia minuenda cogitare coeperunt. Concilio, quam Dietam vocant, locus indictus urbs Cremona. Eo convenerunt Alphonſus Dux Calabriae Ferdinandi Regis filius, Ludovicus Vice-Comes, Laurentius Medices, Hercules Eſtenſis Dux Ferrariae, & Ludovicus Gonzaga Mantuae Princeps, et Pontificis nomine Cardinalis Mantuanus, aliique nonnulli minoris auctoritatis, et nominis. Sed re diu, multumque deliberata demum Laurentii conſiliis plerique omnes acquievere, cuius opera facta viderent ad Italiae ſalutem, quae ſupra commemoravimus. Sperabant tanti Viri auctoritatem ſecuti cetera etiam, de qui-

bus

bus consultabant, omnia successura, id quod procul dubio evenisset, si Vice-Comes permansisset in fide. Is enim vel Venetorum auro oneratus, ut vulgo creditum est, vel Alphonsi Ducis tam in proximo potentiam veritus, quem sciebat iniquo animo ferre, Ioannem Galeacium generum contumeliose admodum, & ignominiose tractari, animum inflectens in peiorem partem coepit Venetorum potius saluti, quam Italiae rebus, & honori suo consulere. Praevidit Laurentius hominis inconstantiam, ut diceret, vicimus, si Ludovicus, quod loquitur, idem etiam sentit. Ludovicus igitur, ubi primum ex colloquio discessum est, quasi omnium immemor, quae sibi de communi omnium consensu post longam deliberationem decreta fuissent, confoederatis per litteras, Nuntiosque significat, velle se cum Venetis pacem, & ab omnibus belli rationibus abhorrere. Mirati sunt omnes (ut par fuit) hominis sive inconstantiam, sive perfidiam. Tamen Ferdinandus, & Florentini, & Pontificis nomine Hieronymus Comes non recusarunt, ne vel Ludovicus adulterinus Princeps se penitus Venetorum arbitrio committeret, vel quietem i-

psi

psi totius Italiae disturbare viderentur. Sic apud Balneolum pax conclusa est, quam Xystus Pontifex tanta animi molestia tulit, ut creditum sit audito tantum nomine pacis obiisse. Ego senio confectum potius arbitror, qui esset septuagenarius, nec dubito si diutius fuisset in vita, qua fuit animi magnitudine, quin admotis machinis aliquibus huiusmodi pacem disturbasset. Sed nos ad Laurentium redeamus. Fuerat, ut superius diximus, diuturnum, ac grave bellum, quod Rex, & Pont. gesserant in Florentinos, in quo incredibile auri pondus consumtum est. Accesserat praeterea Ferrariae oppugnatio, in qua urbe defendenda, ne in Venetorum manus deveniret, Florentini tantundem pecuniarum, aut paulo minus impenderant. Tamen civitas nostra dignitatis suae memor auctore Laurentio Serzanum oppidum munitissimum, & Petram Sanctam suo imperio adderet, per haec tempora decreverunt. Duo semper inprimis Laurentius summopere studuit, & diligentissime cavit. Primum ne in Italia ullius potentia usque adeo cresceret, ut esset ceteris formidolosa. Alterum, ut Florentina Resp. undique locis munitissimis velut moenibus cingeretur, quo tu-

tutior esset, & securius ageret. Hoc consilio Senenses, Lucenses, Bononienses, Faventinos, Perusinos, Tiphernates quovis modo sibi conciliaverat eorum oppida nostrae urbis propugnacula appellans. Hoc idem ut in Lunensi quoque agro, & in Liguria assequeretur, enixe operam dedit, ut Serzanum oppidum, & Petra Sancta Florentino subiicerentur Imperio. Ad hoc bellum gerendum cives, qui huiuscemodi tempestatibus pecunias solent abscondere, certatim eas vel solvebant, vel mutuo dabant tanta liberalitate, ut unus supra quinquaginta aureorum millia contulerit, ut de Laurentio taceam, qui per haec tempora Montis administrationi praefectus tantam undique vim pecuniarum collegit, ut non solum abunde provisum sit bello, sed etiam civium necessitatibus, atque adeo puellarum dotibus, quo popularius nihil in civitate nostra accidere potest. Sic Mons, qui exiguus fuerat, ut quidam dixit, eo rectore crevit in astra. Difficilis expugnatio videbatur. Ad hoc Antonius Puccius bello praefectus quum se egregie summa cum laude gessisset, vel veris intemperie, vel nimio labore gravatus in medio rerum conamine natu-

rae

rae concesserat, multique alii ex primatibus viri clarissimi, ut iam coeptorum per multos poeniteret. At Laurentius nullis aut laboribus, aut periculis perterritus in castra ipse profectus est plenus bonae spei, non quod ad bellum venisset, sed ad victoriam certam, quam secum attulisse omnibus videbatur, tantumque potuit Viri praesentia, & auctoritas, ut non multo post eius adventum Serzanum, & Petra Sancta, multaque alia oppida munitissima in Florentinorum venerint potestatem. Ferunt Renuccium Comitem admodum iuvenem, ut Laurentii gratiam iniret, quum Petra Sancta oppugnaretur, Saltum, quem dicunt Cerviae, urbi imminentem tantae altitudinis superasse, ut vix credibile factu videretur, quo nomine tunc donis donatus est plurimis: deinde semper apud Laurentium in honore maximo fuit. Solebat enim Laurentius omnes, cuiuscumque egregiam indolem, aut virtutem, bonarumve artium perspectam haberet, in suorum gregem recipere, liberalissime amplecti, fovere, & in omnibus ubique semper adesse. Habebatur sermo de Antonio Lupo Organico suae aetatis praestantissimo, in quo quum nonnulli in eius vitam, ac mores inve-

he-

herentur, Laurentius ad eos conversus: si sciretis, inquit, quanti sit in re aliqua excellere, parcius, ac modestius de illo loqueremini. Musicis omnibus semper plurimum detulit Musicus ipse peritissimus, adeo ut nulli secundus putaretur. Architecturam amavit, sed illam praecipue, quae antiquitatis aliquid redoleret. Quod facile appareat in Praetorio Caiano priscam illam veterum magnificentiam repraesentante, quod Politianus elegantissimo carmine celebravit. Pisis Gymnasium instituit Scientiarum omnium, quo ut doctores conduceret undecunque in qualibet facultate praestantissimos, quoad vixit, nullis unquam sumptibus pepercit. Quare brevi factum est, ut cetera omnia, quaecumque in Italia celebrentur, aut aequaverit, aut superaverit. Eius incrementis Laurentius plurimum laetari, & nequid adversi pateretur, in primis prospicere. Bartholomaeum Sozinum salario maximo conduxerat, ut ius civile doceret, in qua facultate erat nemini secundus. Is mox invidia, ut creditur, motus (erat enim Senensis) contra datam fidem abire tentavit. Sed ex fuga retractus diu in carcere fuit, nec inde liberatus, nisi datis vadibus, ut es-

esset exemplum ceteris servandae fidei: Hic quum quereretur, quod ipse tanti Vir nominis adeo turpiter tractaretur: at multo, inquit Laurentius, turpius est fidem fregisse, quam eo nomine poenas subire. Florentiae quoque operam dedit, ut viri doctissimi essent, qui iuventutem excolerent bonis artibus, in quibus fuere Marsilius Platonicus, Demetrius Chalcondyles, Christophorus Landinus viri in sua quisque facultate praestantissimi. Aluit domi apud se Angelum Politianum virum litteratissimum, cui filium quoque erudiendum commisit. Quid Picus ille Mirandula naturae, atque Orbis miraculum? Nonne Laurentii humanitatem sequutus Florentiam elegit studiorum suorum sedem quietissimam, in qua urbe non solum vivere, sed moriens quoque sepelliri voluit. Marianum Genazanensem virum moribus, doctrinaque, & dicendi facultate egregium ut Florentiae detineret, coenobium illi, & Fratribus eius amplum, ac magnificum prope urbem faciundum curavit, ut sermonibus eius populum ad Religionem, & Dei cultum instrueret, incenderet, inflammaret, quo frequenter cum Pico suo, & nonnullis aliis veniens veluti in Christianae Fidei Academiam

miam de Sacris Theologiae Mysteriis disserebat. Ego Marianum ipsum saepius dicentem audivi, vidisse se neminem ex illis, qui in summa potentia constituti sunt, tantae pietatis, & religionis. De Deo semper, deque omnibus ad eius cultum spectantibus venerabunde loqui solitum: de vita nostra Platonicorum, & Christianorum dogma secutum, quod vera vita in spe sit: quam in Terris vivimus, eam umbrae imaginem esse: delectari consuevisse disputationibus ad alteram vitam pertinentibus, & maxime de animae immortalitate. Si quis contra sentiret, eum affirmabat mortuum in hac vita esse, neque mirum, si de altera dubitaret. Hoc illud fuit tempus, quo omnium maxime Florentia dicitur floruisse imperio aucta, & nominis fama, quam per totum Terrarum Orbem Laurentii sapientia, & auctoritas dilataverat. Domi vero populus omnis, patres, & plebs ipsa sub eiusdem alarum umbra securi quiescere. Exhibebantur spectacula plurima, ludi frequentes, quibus Laurentius semper intererat tam comis, & humanus, ut popularius nihil excogitari possit. Illud mirum, quod tamen verum. Cuicumque ille favebat, eidem statim fortuna aspira-

rare videbatur. Memini in equestri certamine virum Laurentii auspiciis pugnantem vulneribus confectum velle prius emori, quam sine victoria discedere, cui postea inter caussarios relato & vacatio data est, & stipendia, dum vixit, persoluta. Delectabatur maxime equorum cursu. Quare equos plurimos habuit in delitiis, in quibus ille fuit, quem de colore morellum appellabant tantae pernicitatis, ut ex omnibus certaminibus victoriam semper reportaverit. De hoc equo ipse a Politiano audivi, quod mirum legentibus videatur, non tamen novum, eum, quoties vel aegrotaret, vel defessus esset, nisi a Laurentio oblatum cibum omnem fastidire solitum, & quotiescumque ille accederet, motu corporis, & hinnitu quamvis humi prostratum animi laetitiam fuisse testatum, ut non iam mirum sit tantopere hominibus gratum, quem etiam ferae dilexerint. Carissimus fuit Laurentius Ludovico Francorum Regi, pro cuius salute, & dignitate adversus Xystum, & Ferdinandum olim tuenda non solum arma, sed Regni totius vires, atque adeo Coronam Regiam per Ducem Argentonem sibi acceptissimum pollicitus est. Sultanus in Oriente Princeps ma-

ximus eius amicitiam petiit muneribus missis, in quibus animalia nostris incognita. Matthias ille Regum Christianorum decus, & splendor Laurentium semper plurimi fecit, saepiusque in rebus gravissimis consuluit, eiusque opera assidue usus est per fratrem meum, qui utrique erat familiarissimus. Innocentius Pontifex Maximus, qui Xysto successit, res Ecclesiae, quoad vixit, de consilio Laurentii gubernavit, & rexit, eiusque filiam Francisco Nepoti in uxorem dari procuravit in amoris, & fidei vinculum. Quod ut successerit, exponere ab re alienum non arbitror. Ferunt Xystum vel natura inquietum, vel quod gloriae appetentior esset, habuisse in animo post pacem apud Balneolum praeter animi sui voluntatem confectam, de qua superius diximus, Ferdinandi potentiam, cui ex animo nunquam reconciliatus fuerat, penitus subvertere, quod ut facilius consequeretur, in eius Regno intestinas seditiones absque multo labore excitavit. Principes enim Regni Neapolitani natura instabiles semper fuere, praesentisque Regis iugum detrectantes novum spectando exoptant. Primores igitur auctore Xysto in Regem coniuravere, iamque apparebat aperta defectio,

quum

quum Xyſtus e vita abiens naturae conceſſit. Succeſſit in Pontificatu Innocentius, ad quem ſtatim, qui coniuraverant, rem omnem deferunt. Regnum, quod ad Eccleſiam iure pertineat, rediturum affirmarunt cum eius maxima gloria: coeptis modo opem, & auctoritatem praeſtet. Pontifex primum eos confirmare: deinde comparato magno exercitu Robertum Sanſeverinatem copiis ſuis praefecit, qui coniuratis vel maxime afficiebatur. Ex eadem quippe Familia erant Salernitanus Princeps, & Benegnanus coniurationis principes, & in Regno potentiae multae. Quod ſi Robertus eorum copiis, quae iam in armis erant, ſuas coniunxiſſet, actum eſſet de Ferdinando Rege, cui etiam Urſina factio ad Pontificis nutum adverſabatur. Videns igitur Laurentius res Italiae denuo perturbari, quas omni tempore, & in bello Ferrarienſi aequatis lancibus tenere annixus fuerat, ſtatuit Ferdinandi rebus conſulere, huicque conatui ſtudium omne ſuum, auctoritatem, & gratiam adhibere. Ex Philippicis igitur balneis in urbem reverſus patribus ſtatim convocatis conſilium ſuum aperit iuvandi Regis. Quod ubi acceperunt, maior pars a principio rem totam damnavit, quod in pace optatiſſima bellum aſperrimum cogitaret

contra Romanum Pontificem, cuius & arma, & censuras admodum timenda esse suo ipse periculo didicisset. Quid si Veneti in omnem occasionem erecti socias opes coniunxerint? Quibus subsidiis Regi subvenietur intestinis discordiis laboranti, & externis hostium copiis circumvento? Caveret, ne bellum, quod Ferdinandi cervicibus imminet, in suam, & patriae ruinam convertatur. Haec palam fremere obsecrantes Laurentium, ut sibi, & patriae parceret. At contra Laurentius animo demissiores excitare, bellique necessitatem gravissimis rationibus ostendere tanta eloquentia, ut facile ad unum omnes in sententiam illius irent. Hanc orationem ex ore dicentis exceptam memini legere me, qua nihil gravius, nihil copiosius, nihil ornatius. Nihilominus res difficilis admodum apparebat, & quae cuiuscumque potentissimi Regis vires excederet. Nam non solum fortissimus quisque in Regno contra Regem arma ceperat, sed Antonellus, & Ioannes Coppula paulo occultius coniuratis favebant, quorum alter a secretis summae totius Regni administrationi, alter pecuniis, ac rebus bellicis praepositus erat. Alphonsus autem Regis filius, qui Columnensibus adiu-

van-

vantibus Romam versus cum exercitu venerat, ne Pontificis copiae coniuratis iungerentur, ita a Severinate debilitatus, ac fractus fuerat, ut cum tribus, quatuorve ad summum ad Politianum oppidum Florentinae ditionis confugerit. In tantis rerum difficultatibus Laurentius pro Italiae primum salute motus, deinde etiam Regis paulo ante felicissimi miseranda fortuna statim ad illum pecunias bello necessarias misit. Deinde curavit, ut civitatis nomine eo quamprimum mitterentur bellicis rebus Praefecti, qui rebus spem adderent, & in extremis laborantem Alphonsum Regem confirmarent promittentes auxiliares copias, & affirmantes Laurentium rebus eius afflictis remedia excogitare. Quin etiam ut Ferdinandus respiraret aliquantulum, qui se se arce nova continebat, animique vires resumeret, litteras Alphonsi manu scriptas, quibus ille se incolumem, & Laurentium tantae ruinae remedia praebiturum significabat, ad eum novo modo perferendas curavit. Clausae enim laminis ex stamno tenuissimis, involutaeque pane primum crudo, deinde prout moris est, decocto datae sunt homini victum ostiatim simulate quaerenti, qui panem, de quo diximus, cum frustis

 aliis

aliis panis commiſcuerat. Ita per tantum Terrarum ſpatium, per loca inimicorum oculis cuſtodita incolumes Ferdinando redditae fuere. Ipſe ex eo audivi, qui litteras tulit, ſaepius ſe ab inimicis comprehenſum, & membratim excuſſum ab eisdem mendicitatis, quam prae ſe ferebat, miſeratis data demum eleemoſyna fuiſſe dimiſſum. Dum haec ita geruntur, interim Laurentius Urſinis, qui ipſi affinitate coniuncti erant, & de quibus optime fuerat meritus, perſuadet, ut a Pontifice deficiant, & Ferdinandi partes ſequantur, cuius ruina, niſi ipſi iam caverint, fore dicebat, ut & ipſi obruerentur. Pontificis potentiam addito Regno Neapolitano formidoloſam admodum fore, & intolerandam. His, atque aliis id genus, ſed praeſertim auctoritate, qua plurimum pollebat, eos in ſuam ſententiam traxit adiuvante in primis Virginio, qui Vrſinae Familiae, & factionis princeps erat, Laurentioque ob Claricem uxorem praecipuo affinitatis vinculo adſtrictus. His comparatis veluti bellicae artis peritiſſimus ſtratagemate tali uſus eſt ad Pontificem decipiendum. Eius quippe familiarem praemiis multis, ac promiſſis oneravit, ut illi litteras redderet quaſi

ſi interceptas, quibus continebatur non levis ſuſpicio, Robertum Severinatem gemina, ut dicitur, ſella ſedere, nec tam victoriam cupere, quam bellum trahere in longum. Et forte iisdem temporibus Pontifex, quo magis Robertus ad bellum gerendum incenderetur, Federicum eius filium facturum ſe Cardinalem promiſerat. Hoc Robertus conſequi cupiens, antequam Regni fines ingrederetur, diem de die trahere, id quod addidit non parum momenti ad credendum litteris. Igitur Innocentius natura quieti potius, quam bello, aut negociis ullis deditus, & qui novus in Pontificatu eſſet, quum iam de Roberti fide dubitaret, & Vrſinos videret ex amicis hoſtes factos una cum Columnenſibus cervicibus ſuis imminere, de belli quoque ſumma non parum dubitare incepit. Inſtabat quoque Laurentius, nec ceſſabat per opportuniſſimum quemque ei perſuadere, ut pacem, quam bellum mallet. Hoc decere Chriſti Vicarium, Sacris, & animarum ſaluti invigilare: non bellis prope civilibus Chriſtianorum ſanguinem effundere. Hinc illi depoſitis armis quietem, & gloriam affuturam. Quibus rebus, nec non periculo ſuo motus, quippe Columnenſibus, &

Regem aemulatus eidem Ioanni Laurentii filio non multo post monasterium contulit Morimundi sic, ut arbitror, appellatum, quod Monachi ad id olim accedentes mori Mundo viderentur. In hoc Monasterio Divus ille Bernardus cum sociis vitam admodum austeram, & asperam egit. Vtrumque Coenobium statuit Laurentius (nam Ioannes adhuc puer erat) ad pristinos mores, & veterem vivendi regulam reducere, a qua vel maxime deciderant somno, & voluptatibus dediti. Igitur Divi Benedicti Monasterio praeposuit Ioannem Titium Sacerdotem moribus probatissimum: Morimundo autem Franciscum Turriensem virum integerrimum. Monachos vero adlegit ex Florentinis Coenobiis probatissimum quemque. Vtrumque etiam locum vasis, & vestibus sacris ad divinum cultum exornavit. Sic qua fuit a primis annis in Deum pietate, in ea ad ultimum vitae permansit. In pauperes semper multum erogare: Sacerdotes omnes in honore habere: quos Deo devotos credebat, venerabundus colere: Templa, & loca Sacra celebrare: rebus divinis semper adesse. Quare Deus Optimus Maximus in Templis suis illum semel, at-

que iterum periclitantem oculo miserationis suae respiciens semper ab inimicorum insidiis tutatus est. Diximus de Pacciana coniuratione, quae in medio Templo Laurentium confodere frustra conata est. Baptista quoque Frescobaldus homo audacissimus, aliique nonnulli in Templo Carmelitarum Florentiae eum interficere decreverant. Sed Deo volente res detecta est. Illi laqueo suspensi non perpetrati, sed cogitati facinoris meritas poenas dederunt. Hieronymus quoque Comes belli tempore eius vitae saepius per sicarios insidiatus est, quas insidias omnes evasit auxilio coelitus misso. Illud inprimis mirandum, quod quicumque ei mortem machinatus est, morte periit violenta. Baldinottus Pistoriensis loco non humili natus insidiis ad Villam Caianam interficiendi hominis gratia positis una cum filio deprehensus est. Mox per urbem tractus, & turpissima morte necatus. Bernardus Bandinus natura sagacissimus, corporis viribus, & animo promptus, qui in Pacciana coniuratione non ultimas partes habuit, quippe qui & Iulianum Medicem, & Franciscum Norium occiderit, nec contentus suas partes peregisse, ad Laurentium occidendum pro-

pe-

Ecclesiae redditur. Boccolinus incolumis Florentiam ad Laurentium venit, apud quem diu moratus est, ex quo tempore Innocentius Laurentii arbitrio se penitus commisit, & per Ioannem Lanfredinum socerum meum, quoad vixit, Romae a Laurentio gravissima quaeque regebantur. Per ea tempora in Flaminia tumultus plurimi simul exorti. Hieronymus Comes a suis occiditur. Faventinus Princeps ab uxore per insidias trucidatur. Ioannes Bentivolus a filia post necem viri accersitus capitur a Faventinis, & in carcerem Mutilianae detruditur. Iam bellum expectabatur ab illis, quibus auctoribus haec fuerant perpetrata. Sed statim omnia consilio Laurentii, & auxiliis Ferdinandi Regis sedata sunt. Bentivolus e carcere liberatus, & a Laurentio honeste habitus in patriam rediit. Tutelam pueri, quem in occisi parentis locum Faventinus populus sibi Principem fecerat, Laurentius suscepit. Sic Flaminiae ex tantis perturbationibus tranquillitas rediit unius Laurentii opera, cuius integritatem, & fidem, quibus virtutibus omnes sui temporis longe anteibat, Innocentius in dies magis perspiciens, & quemadmodum nullo in quempiam odio, sed

tiusque aedificii venustate, & magnificentia superant sine ulla controversia non solum privatas domos, sed principales, & Regias. Magno area constitit in urbe media: impendium ad centum aureorum millia accessurum putatur. De modulo Philippus Laurentium consuluit, qui quidem aderat omnibus super hac re operam suam cupientibus, nec civilibus solum, sed etiam externis. Ferdinandus Rex quum Regiam sibi aedificare in animo haberet, a Laurentio futuri aedificii formam petiit, & accepit. Illos vel maxime reprehendere solebat, quicumque in diem temere aedificarent eos dicens caro admodum perpetuam emere poenitentiam. Franciscus Medices in Maiano praetorium a fundamentis erexit, ubi quotidie multa, quum minus animo responderent, immutaverat. Huic affirmanti se multo maiorem, quam a principio putasset, vim pecuniarum in aedificando impendisse; quid mirum, inquit Laurentius, quum ceteri de modulo aedificium ducant, tu de aedificio modulum? Viae quoque novae quamplurimae in extremis urbis partibus eodem tempore factae sunt, in quibus una ampla, & commodissima ejus expensis, quae Lau-

rea etiam nunc appellatur, constructa fuit. Convivabatur assidue primores civitatis magnifice accipiens, & viros doctrina, aut virtute aliqua insignes, praesertim si quid laetius aut ipsi, aut patriae accidisset, ut saepius in liberorum nuptiis, & quo die primum Ioannes filius Galero rubeo insignis se populo exhibuit. Spectaculis quoque populum oblectabat magnificentissimis, & in quibus multa sub velamine praemonstraret, quae postea evenerunt additis rhythmis elegantissime, & acutissime compositis. Securus enim nullas bellorum minas amplius formidabat. Quis enim eo vivente novi quippiam molitus esset? Quare rebus urbanis, & domesticis suis intentus esse. Vxorem habuerat Claricem Vrsinam, & ex ea filios septem praeter illos, qui in crepundiis obierant, in quibus feminae quatuor, mares tres. Earum unam in matrimonium dedit Ioanni Medici, quae ante nuptias morte praeventa multorum, quae mortem Laurentii secuta sunt, malorum caussa fortasse extitit. Minimam natu uxorem duxit Petrus Rodulphus iuvenis nobilissimus. De ceteris superius dictum est. De maribus, quum adolevissent, dicere solitus est unum ingenio, alterum probi-

peraverit, rebus desperatis ex insequentium manibus elapsus in Orientem se contulerat existimans se tutum fore tam procul a patria sub tanto Rege. Sed maximus ille Turcorum Imperator nulla suae dignitatis ratione habita Bandinum ad supplicium repetentibus concessit. Sic ex Orientis partibus extractus, per urbes tot Europae nusquam salutem invenit. Tandem Florentiam, biennio postquam inde in Asiam aufugerat, pertractus, Iuliani manibus parentavit laqueo suspensus. Sic Bandinus, sic complures alii poenas dederunt daturi ipsi exemplum ceteris insidiatoribus, ne se usquam locorum, aut gentium tutos arbitrentur. Illud quoque mirandum arbitror, quod quacumque Laurentius per urbem incederet, id quod quotidie faciebat, concursus semper fiebat hominum, ut eum spectarent, properantium. Hoc faciebat ingens viri maiestas, & apud omnes benivolentia. Nam compositis per eum rebus externis cum summa Reipublicae dignitate domesticae semper adeo quietissimae fuerunt, ut nihil praeterea desideraretur. Virtus in pretio erat: populus in libertate: nobilitas in honore: summa rerum omnium copia. Praeterea ut plebs facilius nutri-

ri,

tate, tertium gratia praestantem fore. Quare & illum, cuius in primis mores probaverat, Deo dicaverat, quem nunc Sacrosanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem habemus. Hos bonarum artium studiis excolendos in primis curavit affirmans se nihil magis optare, quam filios suos non tam maiorum, quam suis ipsorum virtutibus gratiosos esse. Dum sic res haberent, coepit Laurentius aegrotare. Erat enim curis, vigiliisque confectus his ultimis vitae temporibus non satis corpore validus, qui licet in similem aegritudinem saepius incidisset, recuperata postmodum sanitate, & viridi adhuc aetate esset (annum enim agebat quartum, & quadragesimum) tamen se vim instantis morbi non levaturum a principio statim praedixit. Philippo enim fratri meo, qui civitatis nomine Ioannem filium Romam proficiscentem comitabatur, & Andreae Cambino, qui Cardinali adhaerebat, eius rebus, & familiae praefectus, quo die ex Florentia discessuri erant, commendo, inquit, vobis aetatem filii, & civitatis dignitatem. Me praeterea nunquam videbitis. Et quum ambo statim collachrymassent, subdidit: Genius ille, qui nunquam tutelae mei corporis defuit,

iubet, ut ego posthabitis omnibus de morte solummodo cogitem. Neque multo post se Caregium contulit, ubi per mensem satis quiete se habuit cum familiaribus suis. Habuit secum hoc tempore viros Religiosos doctrina, & pietate insignes. Eos quotidie, si quid animo dubium se offerret, consulebat. Habuit etiam civitatis primores, quibus Remp., & filios assidue commendabat, praecipue Petrum natu maximum, qui a parentis ore nunquam discedebat eius verba omnia quasi oracula coelitus missa mente recondens. Huic Iulianum fratrem commendare, ut illi pro patre esset. Nam Iulium Nepotem Cardinalis auspiciis militaturum non dubitabat. Deinde ingravescente morbo Blancam sororem, quam semper plurimi fecerat, accersivit ex illa quaerens, an tempus advenisset Eucharistiae per manus Sacerdotis accipiendae. Cui statim virago illa, qua prudentia fuit, & animi magnitudine: vixisti, inquit, Frater, ad hunc diem admodum generose. Moriendum nunc est non generose solum, sed etiam pie: Scias de tua vita spem nullam reliquam esse. Ille reliquorum ignaviam super hac re modeste tamen accusans ad Deum tota mente, atque

ani-

animo conversus pro animae salute preces, & vim lachrymarum ingentem effudit. Sequenti mane quum ad eum Sacerdos cum Eucharistia accederet, quam primum sensit: non patiar, inquit, ita ad me veniat Dominus meus, & Deus meus: utque erat debilis, & consumto corpore obviam prodiit usque ad cubiculi fores eam tanta devotione, & veneratione suscipiens, tantisque singultibus, tantaque animi contritione, ut adstantium nemo potuerit lachrymas continere. Post paucos deinde dies tam placide, tam quiete expiravit, ut vere de eo dici possit: obdormivit in Domino. Signa multa, & prodigia eius mortem praecesserunt. Sed quae mihi comperta sunt per homines fide dignos, ea dumtaxat referre in animo est. Complures noctes, quum ille in extremis laboraret, supra Villam Caregiam ignis visus est in longum protendens. Marsilius Ficinus retulit vidisse se cum quibusdam aliis in viridario eiusdem villae umbras magnitudinis inusitatae inter se decertantes, quin & voces audisse admodum horrendas. Florentiae Leones, qui publice in cavea servantur, id quod alias factum nulli meminerant, inter se ita certaverunt, ut ex illis nonnulli fuerint dilaniati. Divae Reparatae Templum de Coe-

Coelo tactum, & ex altiori fornicis parte tam vasta marmora corruerunt, ut loco portenti res fuerit. E pilis quoque, quae summam Templi coronam cingunt, ea excussa decidit, quae Medicis aedes spectabat, nec unquam postea reperta est. Pilae enim eius Familiae insigne sunt. Sed de his Politianus, & Marsilius, & plerique alii scripsere. Addit Ficinus Platonicorum opiniones, cur in Heroum morte eiusmodi prodigia eveniant. Quum corpus Laurentii a Caregio in urbem deferebatur, concurrebant omnes promiscue, viri, mulieres, pueri, senes, nobiles, atque ignobiles, nec sine multis lachrymis venerabundi spectabant funalibus honoris, ac nocturni temporis gratia domo allatis, eumque omnes appellabant pauperum parentem, miserorum refugium, omnium defensorem, & publicae quietis auctorem. In funere pompa nulla fuit. Sic enim ipse mandaverat, ut ad avi exemplum sepeliretur. Concursus tamen populi eo quoque die maximus fuit. Advenerant ex tota Italia multi quasi ad communem omnium calamitatem deplorandam. Misit Romanus Pontifex Oratores suos: misit Rex Ferdinandus, qui certior fa-

ctus

ctus de Laurentii morte indoluit maxime, & ad circumstantes conversus: satis, inquit, sibi vixit, sed parum Italiae saluti. Vtinam eo sublato ne quis moliatur, quae vivo tentare ausus non fuisset. Miserunt quoque Bononienses, Lucenses, & ex omni Flaminia quaeque civitas, qui pullati omnes una cum universo Populo Florentino lugubrem vestem induto communem interitum deplorarunt.

FINIS.







